

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Amicicia i cum uariis

Sunt quidam amici amicicia mala que nec amicicia dicenda est quia mala consciencia facit. Sunt enim homines qui pariter mala committunt et ideo uidentur sibi iuncti quia consciencia mala ligati sunt. Excepta ista nepharia amicicia, est quedam amicicia carnalis per similitudinem habitandi, colloquendi, simul conuersandi ut tristetur unus cum deseritur ab amico cum quo solet colloqui et habere coniunctionem. Conueniunt duo, ambulant secum triduo, et iam nolunt a se recedere. Et ista quidem amicicia est honesta, sed est consuetudinis non rationis. Habent enim illam et pecora. Duo equi manducant simul; desiderant se ad aliam diem; procedit unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum; uix regitur a possessore, et tamdiu se impetu suo prouocat, quousque ad alium perueniat. Et est alia amicicia superior non consuetudinis sed rationis qua diligimus hominem propter fidem et mutuam beneuolenciam in ista uita mortali. Ac superius quicquid inueniemus diuinum esse, incipiat homo amare et non amabit in homine nisi Deum.

Augustinus in quodam sermone.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Amicicia i] Amicicia k L²; quidam] quidem L²; ista] illa M; procedit] preedit P V¹ V² L¹ L²; possessore] possessone (*cor. intra*) B, possore P V¹; inueniemus] inuenimus P V¹ V² L¹ L²; incipiat] incipient B